



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena**

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

I. Duo de mundo quaeri possunt:

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

## QVÆSTIO DVODECIMA.

## DE MVNDO, PARADISO TERRESTRI, ET ADAMO.

I. Duo de mundo quæri possunt: II. Primum, Vtrum & quo sensu dixerit Origenes mundum propter rationales naturas fuisse à Deo conditum; III. ita ut existimasse eum Patres aliqui testificantur: IV. alterum, Vtrum plures vel fuisse, vel esse, vel fore mundos existimaverit; V. quemadmodum ipsi à Patribus quibusdam objectam eēt: VI. quamquam ejus causam nonnulla adjurant. VII. Exploratur Origenis sententia de consitione Paradisi terrestris, VIII. & de scortis tunicis, quibus post peccatum Adamus indutus est. IX. Quaritur utrum dixerit Adamum per peccatum similitudinem Dei amisisse: X. & utrum homines Præadamitas existisse sibi sinxerit.

I. CIRCA quæstionem de mundo duplex excutiendum venit Paradoxum Origeni adscriptum: primum, Vtrum & quo sensu dixerit mundum propter animas rationales à Deo fuisse conditum: alterum, an unicum duntaxat mundum creasse antehac, vel posthac creaturum esse asseveraverit. Quæ duo quærenda sibi proponit Origenes in tertio capite libri 2. *Ἐπι ἀρχῶν*, quod inscribitur: *De initio mundi & causis eius*.

II. Primum quod attinet, nemo non videt ex antecedenti ipsius doctrina aptum id esse, naturarum illarum gratia, quæ sunt rationis participes, mundum à Deo fuisse procreatum. Cum enim animas quocunque statu collocatæ sint, arbitrij sui libertate ad peccandum vel recte agendum uti voluerit, & pro peccatis hanc iis irrogatum iri pœnam, ut in graviora ac crassiora corpora amendantur, eam ob rem dicere debuit gravia illa corpora formari à Deo, quemadmodum ergastula ad retinendos reos construuntur. Copiosa ad id probandum Origenis habetur dissertatio libr. 2. *Ἐπι ἀρχῶν*, cap. 1. Cum ergo, inquit, tanta sit mundi varietas, atque in ipsis rationabilibus animantibus sit tanta diversitas, propter quam etiam omnis reli-

qua varietas ac diversitas putanda est extitisse, quam causam aliam dici oportebat, qua mundus extiterit: præcipue si intueamur illum finem per quem omnia restituenda in statum initij sui libro superiori disertum est? Quod utique si consequenter dictum videtur, quam aliam (ut dicimus) causam putabimus tante hujus mundi diversitatis, nisi diversitatem ac varietatem motuum, ac prolapsum eorum, qui ab illa initij unitate atque concordia, in qua à Deo primitus procreati sunt, deciderunt? In eodem pronuntiato sic concludit caput 8. libri 2. De princip. Pro motibus suis anaqueque mens bonum negligens, in contrarium boni, quod sine dubio malum est, traheretur. Ex quo videtur semina quadam & causas varietatis ac diversitatis ille omnium conditor accepisse, ut pro diversitate mentium, idest rationabilium creaturarum, quam diversitatem ex ea causa quam superius diximus, putanda sunt concepisse, varium ac diversum mundum crearet. Capite vero sequenti rem altius repetens, Deum ait ab

initio cum rationis compotes naturas creare vellent, nullam habuisse creandi illarum causam præter seipsam, suamque bonitatem: in eo autem cum nulla sit diversitas, neque ex parte rerum creandarum ulla esset, æquales eas, & undequaque similes ipsam procreasse: has vero, ut pote libero præditas arbitrio, non eodem modo omnes hac usas esse facultate, aliis in vitium ac nequitiam ruentibus, aliis ad meliora assurgentibus: atque inde rationalium naturarum extitisse differentiam: Deum autem unamquamque pro meritis ornare volentem vel ulcisci, diversitates mentium in unius mundi consonantiam traxisse, sic tamquam in unam domum, quæ vasis aureis, argenteis, & fœtilibus instruitur. Et has causas, inquit, (ut ego arbitror) mundus iste sua diversitatis accepit, dum unamquamque pro varietate motuum suorum, vel animorum, proposuitque Deus dispensat. Quocirca Tomo 19. in Iohann. p. 284.

& capite 5. libri 3. *Ἐπι ἀρχῶν*, observat creationem mundi apud Scriptores sacros novo hoc & proprio *ἐπιτολῆς* nomine nuncupati; quia nimirum de superioribus ad inferiora descensum est, non ab his animabus quæ id motuum suorum varietate meruerunt, verum & ab ipsi quæ ad totius mundi ministerium ex illis superioribus & invisibilibus ad hæc inferiora & visibilia deducta sunt, licet non volentia; vanitati quippe creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecti in ipse, quæ vel Sol, vel Luna, vel Stella, vel Angeli experient obsequium mundo, & his animabus quæ ob nimios defectus mentis crassioribus & solidioribus indigere corporibus, & propter eos quibus hoc erat necessarium, mundus iste etiam visibilis institutus est. Et mox: Talem vero ac tantum putandum est factum esse mundum, qui vel omnes eas animas, quæ in hoc mundo statuta sunt exerceri, caperet, vel omnes eas Virtutes quæ adesse eis, & dispensare eas, ac jurare parate sunt. Atque hæc ipsa loca librorum *Ἐπι ἀρχῶν* reprehensionis causa profert Hieronymus Epist. 59. ad Avit, cap. 2. & 3. Alia præ-